



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Campiano ortus & educatio. n. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320



HISTORIÆ PROVINCIAE ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV. LIBER SECVNDVS.

I. **H**istia quidem foris egere ij, quibus neque in Patriam caritas, neque ad caritatem explicandam facultas deerat, neque par laboribus animus; quos enim labores ad Sarmatas vsque & ad Indos profecti exhauserunt, eos tam facile in vicinam suam Angliam profudissent, si ita tulisset fors. Nunc eorum exigere virtutem aggredior quibus contigit primis ex Societate Iesu in ipsa Anglia Hæreticorum ferociam experiri, & quos annis consequentibus habuit ea Insula auitæ fidei inuictos propugnatores. Equidem iure meritissimo primas *Campiano* deferri, & *Personio* prorsus censuerim; obcuriora enim sunt, atque incerta, quæ de claris Martyribus *Thoma Woodhouse*, & *Ioanne Nelsono*, narrat *Thomas Stephansonus* in vita *Pondi*, quod Societati nomen dederint. Quem autem *Zacchimus* memorat Patrem *Thomam King*, in Patriam sanitatis causâ missum ibidem obiisse anno millesimo quingentissimo sexagesimo quinto; etsi spem fecit is, in afflicta valetudine salutis plurimorum (quod testantur *Polanci* literæ pro *Borgia* Vicario scriptæ) altero tamen mente contabescens, sibi coronam peperisse sperandum est, nobis verò ultra spem cum nihil dignum Annalibus reliquerit, alijs lampada palmamque non inuitus concedet.

Campianus & Personius primi ex Societate in mesase Anglica.

II. Anno post sæculum decimum quintum quadragesimo natus est Londini *Edmundus Campianus*, eo, uti diximus, tempore quo *Henrici* Regis in Pontificem odio, amplissima Religiosorum hominû Cænobia passim disturbabantur. Quantû in puero crederet ingenij & industriae laudes, luculenter

Campianus nascitur Ao. 1540.



1569.
Coram
Maria
Regina per
orat anno
1553.

Oxonij
flore, gra-
tus Eliza-
bethæ Ao.
1566.

Elizabetha
hæresim
inducit.

Campia-
nus Che-
ngi aucto-
rita eSchil-
maico ritu
initiat.

tum ostendit, cum annos numerans non plures duodecim, *Mariam* regnum auspiciantem eleganti oratione salutauit. Et *Maria* quidem fato concessit prius quam in lectissimo iuvene bonarum artium ac literarum fructus ad præmia condigna maturescerent. At *Thomas vius*, vir nobilitate ac prudentia clarus, atque apprimè Catholicus, cum *Sancti Ioannis Baptistæ* nomine Collegium Oxonij recenter fundasset, *Campianum* inter primos adscribi voluit; vt qui adolescentis promptam indolem plurimam Academia vniuersæ lucem allaturam augurabatur: Neq; fefellit augurium: Paucis enim annis, splendore ingenij, eloquentiæ vi, ac morum suauitate id est cõsecutus, vt non solum oratoris, & Procuratoris præcipuis inter Academicos muneribus adhiberetur sed vt *Elizabetha* (cui post Mariam regnanti, & Imperium adgratulatus fuerat, & oblequia Academia officiosissimè detulerat) ornandi extollendique hominis in se negotium susciperet: Quod cum per Leicestrium Comitem illa exposuisset, & voluntatis Regiæ esse vt quod liberet postulare: seu veritus nè beneficiis Regiis irretitus minus liberum haberet iter ad Religionis veritatem, (quam anxius iam tum inquirebat) indagandam, sequendamque, seu inanitatis aulicorum promissorum gnarus, actis verbo liberaliter gratijs, nulla se magis re capi, quam regio fauore, professus est.

III. *Elizabetha Henrici Octau*i filia ex Bolena, ad Regnum euecta, non sororis, ex *Catharina*, Catholicæ, sed Patris fratrisque Schismaticorum vestigijs insistere decreuerat. Itaque abrogato eo omni ritu, quo inde ab constituta in Anglia per Apostolos Apostolicosque viros Religione, vel Sacramenta celebrabantur, vel preces fundebantur, noua paulatim forma precandi, noua cudebantur Sacramenta: Et rudioribus quidem non difficulter suadebatur nihil admodum distare ea que latinè prius, nunc populari idiomate efferebantur (quamquam & id discrimen ingens est, quod quecumq; sunt vulgari lingua exposita, in Romanæ Ecclesiæ contemptum sunt instituta) At ij quibus aut ab ingenio, aut ab librorum assidua verlatione sensus erant perspicaciores, non ita facilè nouitatem cum recepta tot sæculis antiquitate commutabant. Hos inter *Campianus* quo maior studio veterum sententias cum nouorum hominum commentis componebat, eo longius à suspecte pridem causæ approbatione prouehatur. Et honorum interim opumque spes, atque inter æquales existimatio, nutantem vtcunque retinebant, nè apertè Catholicus videri vellet; præcipuè vero *Richard*i *Chenæi* beneuolentia singularis: is Regiæ gratiam secutus, *Glocestrensis* Antistitis gradum occuparat; Eruditio, comitas innata probitas, Patrum ac sacræ vetustatis ostentata veneratio, odium denique in rigidos Calvinistas (quos Puritanos vocant) auctoritatem homini conciliarant & nomen: Qui cum in *Campianum* oculos coniecisset, fouere non destitit, quem nascenti Religioni lumen afferre posse prouidebat, & vt vellet, quâ promissis, quâ largitionibus conabatur efficere: Atque euicit vt spurio diaconatu se initiari permitteret: neque enim per recentes *Elizabethæ* constitutiones, licuisset ad populum eloquentiam, quâ pollebat, explicare, nisi manus